Vado mori ſed neſcio quo ſed neſcio quando
Quo me cumqꝫ loco vertero vado mori

Vado mori iuuenis quia nil valet ipſa iuuentus
De nece protegere nequeo vado mori

Carnis vita labor carnis conceptio tabes Menſtrua putredo finis origo lutum.

Mors

Vos cordiger frater ſequimini
Poſt paſtorem ſatis predicaſtis
De hac morte ſi moriemini
Inde minus mirari debetis
Nam maiores mors mordet videtis
Experta re. quantumqꝫ ſubito
Dicta veſtra factis comprobatis
Semper mors eſt percutere preſto

Cordiger

O mi quid eſt in mundo viuere
Nullus tutus ſtat in hoc ſeculo
quo vanitas non ceſſat creſcere
Tunc venit mors cum ſuo baculo
Nil mirum eſt ſi modo tremulo
ꝙ vixerim mundo mendicitus
quicquid feci mecum nunc baiulo
Sapiens eſt peccator contritus

Mors

Parue puer nuper infans nate
Hic facies moram paruiſſimam
Nam tributum iudex petit a te
Faciendo finem breuiſſimam
Choreabis odam nouiſſimam
Vt ceteri mors tibi detur
Non teneas illam rem maximam
qui plus viuit plus pati tenetur

Puer

A a a a iam loqui neſcio
Infans cum ſim paruus lingua mutus
Heri natus et nunc deficio
Ad tumulum parere citatus
Intrans mundum tunc ſoluens exitus
Sed ſtat idem mors cunctis communis
Dum deus vult deficiunt ſtatus
Vno motu ſenis et iuuenis